

quicumque negligentia subrepente remissus ac dissolutius custoditur; vel certe penitus abolita negligitur; bonum videtur, ut ad primum revertantur statum, & Abbatres eorumdem in eodem habitu & vita, qua ipsa regula praecipit eos incedere, vivere studeant.

Can. XXXIII. Comitibus & iudicibus reliquoque populo expedit, ut suis sicut Episcopis consentientes & obediens, propter Dei amorem suique gradus honorem, & semper ab eis utile querant consilium, illorumque salubria non spernant monita; sed intenta cordis aures audiant. Similiter vero & Episcopi praedictas personas humiliter suscipiant, honorifice erga eos in omnibus agant; Et sic sese mutuis sublevare studeant consolationibus.

Ad hunc canonem de colenda pace, & mutuis officiis inter Comites & Iudices cum Episcopis, quibus tamen illi esse debent obsequentes in his quae ad Ecclesiam animarumque regimen spectant; refertur Concilii Cabilonensis secundi, eiusdemque anni 813. can. 20. Si inter omnes fideles pax & concordia habenda est, dicente Apostolo, sectantini pacem & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, multo magis inter Episcopos & Comites esse debet; qui post Imperialis apicis dignitatem populam Dei regunt. Ita enim inter se concordare debent, ut alterutrum sibi ad Dei servitium peragendum, & ministerium suum exercendum, non solum non noceant, quin potius adminiculo sint. Meminerint tamen provinciarum Rectores ac populorum Praefecti, se oviculas esse factorum Antistitum, quibus proinde venerationem & in rebus Ecclesiae dignitatem ac potestatem a Christo collatam concernentibus obedientiam & cultum deferre par est; ut admonet Nazianzenus orat. ad cives timore percultos, & praefectum irascentem. Et Augustinus epistol. 170. ad Bonifacium Africae praefectum. Idemque Augustinus ad alterum scribens Africae Comitum Marcellinum epistol. 159. admonet eum, ut sibi Episcopo de ipsius animae salute atque officio iubenti morem gerat.

Can. XXXV. Nullus Christianus pro quolibet placito vel iudicio a qualibet persona munera exigere aut accipere debet: quoniam id divina Scriptura multis in locis magna interdicit auctoritate: teste illa quae ait: Menera excacant oculos sapientum, & subvertunt verba iustorum. His conformatur sequens Cabilonensis Concilii canon 21.

Can. XLIX. Admonendi sunt Domini subditorum, ut circa suos pie & misericorditer agant, nec eos qualibet iniusta occasione condemnent, nec vi opprimant, nec illorum substantias iniuste tollant, nec ipsa debita, quae a subditis reddenda sunt, impie ac crudeliter exigantur.

6. Can. L. Ut si non frequentius, saltem ter laici homines in anno communicent; nisi forte quis maioribus impediat.

Majora crimina illa dicit, quae iuxta veteres poenitentiarum canones excluderent a sacra communione, etiam aliquando ad finem usque vitae. Canon attribuit Fabiano Pape & Martyri relatus in decreto c. & si non frequentius, de consecr. dist. 2. & Agathensis can. 17. tria tempora assignant, Pascha, Pentecosten, & Natale Domini. Saeculo decimo-tertio sub Innocentio tertio Concilium Lateranense generale can. 1. qui incipit, Omnis utriusque sexus, omnem communicandi obligationem ordinariam reduxit ad tempus Paschale.

CONCILIUM CABILONENSE II.

Anni 813.

1. Cum quatuor praecedentibus in similia decreta conspiciat. Est unum quippe ex illis quinque, quae Carolus ad generalem populorum, circa eorum mores, reformationem, & ad sancendam Ecclesiarum disciplinam, uno eodemque anno 813. in diversis provinciis celebranda indixerat.

Can. I. Decrevimus iuxta Sanctorum Canonum constitutionem, & ceterarum sanctarum Scripturarum doctrinam, ut Episcopi assidui sint in lectione, & scrutentur mysteria verborum Dei, quibus in Ecclesia doctrina fulgore splendeant, & verborum Dei alimentis animas sibi subditas satiare non cessent. Et cum David quotidie Domino dicant; Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. Ita videlicet ut illas Scripturas nobilissimas habeant, quae Canonice appellantur, & earum sen-

sum per Patrum tractatus inquirant; Canones quoque intelligant, & librum Beati Gregorii Pape de cura Pastoralis, & secundum formam ibidem constitutam & vivant & praedicent.

Eadem primis canonibus praescribunt Episcopis priores Canones Turonenses.

2. Can. III. Providet, ut iuxta Caroli Magni saluberrima monita Episcopi scolas in suis Diocesis instituant, in quibus litteras & sacram disciplinam clerici addiscant, ad populorum doctrinam, & ad haereses refellendas.

Can. VI. Imputatur quibusdam fratribus, eo quod avaritia causa hominibus persuadeant, ut abrenunciantes saeculo res suas Ecclesiae conferant, quod penitus ab omnium membris eradicanum est. Animarum quippe salutem inquirere Sacerdos, non lucra terrena debet, quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi, neque circumvenendi. (Et paullo post:) Ecclesia sancta non solum fideles spoliare non debet, quin potius inopibus opem ferre, ut debiles, pauperes, viduas, orphanos, & ceteri necessitate patientes a sancta Ecclesia ut a pia Matre & omnium gubernatrice subsidium accipiant; quia res Ecclesiae, quibus Episcopi non ut propriis, sed ut commendatis uti debent, pretia sunt peccatorum, patrimonia pauperum, stipendia fratrum in communi viventium.

3. Can. VII. Ipsos Episcopos, & Abbates, qui per avaritiam & turpe lucrum quoslibet homines illectos circumveniendi totoderunt, & res eorum tali persuasione acceperunt & subripuerunt, poenitentiae subjacere decernit. Et accepta per circumventionem dominis, aut eorum haeredibus restitui jubet. Illis vero quos ita circumveniendi attonderunt, libertatem admittit ad saeculum revertendi. Notatu digna haec sunt, quae de Augustino prodit ipsius vita Possidius Calamentis Episcopus cap. 24. Nam & aliquas eum hereditates recusasse novimus, non quia pauperibus utiles esse possent, sed quoniam iustum & equum esset videbat, ut a mortuorum vel filius, vel parentibus, vel affribus magis possiderentur, quibus ab eis deficientes dimittere noluerunt.

Can. VIII. Oportet etiam, ut si Sacerdotes fruges vel quosdam redditus terre congregant & protelant, non ideo faciant ut carius vendant, & thesauros congregent, sed ut pauperibus tempore necessitatis subveniant.

Can. IX. Questi sunt praeterea quidam fratres, quod essent quidam Episcopi, & Abbates, qui decimas non siverent dari Ecclesiae, ubi illi coloni Missas audiant. Proinde decrevit sacer iste conventus, ut Episcopi, & Abbates, de agris & vineis, quae ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias deferri faciant. Familiae vero ibi dent decimas suas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni circulum Missas audiunt. c. questi sunt 16. q. 1.

Can. XX. Si inter omnes fideles pax & concordia habenda est, dicente Apostolo: Sequimini pacem & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum; multo magis inter Episcopos & comites esse debet, qui post Imperialis apicis dignitatem populam Dei regunt. Ita enim inter se concordare debent, ut alterutrum sibi ad Dei servitium peragendum, & ministerium suum explendum, non solum non noceant, quin potius adminiculo sint.

Can. XXI. Comitibus vero & iudicibus hoc summopere observandum est, ut iuste iudicent, & nequaquam in iudicio munera seu personas accipiant; dicente Domino: Non accipies personam, nec munera, quia munera excacant oculos sapientum, & subvertunt corda iustorum: sed & ministros, quos Vicarios & Centenarios vocant, iustos habere debent; ne forte eorum avaritia aut rapacitate populis gravetur. Consonat canon 35. praecedentis Turonensis Concilii.

Can. XLVI. In perceptione Corporis & Sanguinis Domini magna discretio adhibenda est. Cavendum est enim, ne si nimium in longum differatur, ad perniciem animae pertineat, dicente Domino: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Si vero indiscrete adhibeatur, timendum est illud quod ait Apostolus: Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Iuxta eiusdem ergo Apostoli documentum, probare se debet homo, & sic de pane illo manducare & de calice bibere, ut videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus animamque suam, praeparet se ad accipiendum sanctum Sacramentum, exemplo David, qui nisi se fastus fuisset abstinuisse ab opere conjugali ab heri & mandis tertius, panes propositionis nequaquam a Sacerdote accepisset.

Can. XLIX. In quibus locis, & quo apparatu Missarum solemnium, exceptis Basilicis, celebrari debeant, & utrum cele-

Concilium Aquisgranense, & Meldense.

celebrari debeant; In Concilio Laodicensi ita scribitur, quod non oportet in domibus oblationes celebrari ab Episcopis, vel a Presbyteris. Vide quae suo loco dixi ad Chalcedonensem.

4. Can. LXI. Non debere sanctimonialia in propriis mansionibus cum aliquibus masculis clericis, sive laicis consanguineis, sive extraneis bibere sive comedere: sed si quando id agendum est, in auditorio agatur; & ubi adjutorium deest, fiat, & cum nullo masculino eis colloquium habere liceat, nisi in auditorio, & ibi coram testibus.

Auditorium locus est vulgo dictus Parloir, quem locum Cabilonenses Patres, ubi non est, construi praecipunt, ut rarior sit externarum personarum introitus ad claustra, & Sanctimonialium penetralia.

CONCILIUM AQUISGRANENSE

anni Christi 816.

1. Ludovicus Pius Imperator praecipue paterna religione ac Monarchiae successore, biennio a patris Caroli Magni obitu Concilium apud Aquisgranum convocavit: cujus amplissima capitula, pro majori parte, ex Sanctorum Patrum Ecclesiae Doctorum; & ex anteriorum Ecclesiae canonum monumentis, iisdem expressa verbis duos complet libros. Quorum primus circa communem Ecclesiarum disciplinam, & omnium fidelium mores corrigendos, & sanctius instituendos centum & quinquaginta capita complectitur. Secundus vero, qui est de institutione Sanctimonialium, octo & viginti capitula, alia admodum prolixa continet. Celebrata hac Synodo, Ludovicus Pius eodem anno 816. suum Aquisgranum capitulare praeceperit, Stephano quarto summo Pontifice. Anno vero sequenti 817. idem Ludovicus eadem in Urbe conventum Abbatum & insigniorum Monachorum Franciae Regni coegit: in quo editis octoginta capitulis provifum est de regulari disciplina. In hoc posteriore Aquisgranensi conventu anno 817. Paschali existente summo Pontifice, idem Ludovicus celebrem edidit constitutionem, qua provincias & ditiones a praecessoribus Carolo Magno, Pipino Rege, & principibus proavis Carolo Martello, & Pipino Heritallo, munificentissima liberalitate Romanae Ecclesiae concessas confirmat. In quibus Insulas recentet Corficam, Sardiniam, & Siciliam: sed novis a se tertis superadditis Ravennatis Exarchatus ditat. Deinde a jure Patribus suis a Romana sede indulto decessit, factam novi Pontificis electionem suo consensu confirmandi & ratam faciendi; non vero, ut quidam opinati sunt, propria auctoritate eligendi ac nominandi. Haec munifico edito post Ludovicum subscripsere tres ejus filii, cum Episcopis, & Abbatibus, & Primoribus Regni. Horum meminit Leo Ostiensis in Chronico Cassinate: Ultimo Abbatis Theodomiri anno, Ludovicus Imperator, Caroli Magni filius, quarto Imperii sui anno, Aquisgrani in palatio, cum pluribus totius Franciae Abbatibus religiosisque Monachis Concilium faciens, utilissima nostri Ordinis observationi 80. generalia Capitula constituit, quae omnia apud nos perinde fere ac regula sancti Benedicti observantur. Hic pactum constitutionis & confirmationis fecit Beato Petro Apostolo, ejusque Vicario Domino Paschali, parentes suos Pipinum & Carolum imitatus, manusque sua ac filiorum subscriptione corroborans, &c.

CONCILIUM MELDENSE

Anno 845.

1. Meldae oppidum ad Matronam haud procul Læticia, vulgo Medux, suffraganea quondam Senonensi Metropoli sedes Episcopalis, nunc vero Parisiensi Archiepiscopo subdita. Huc in Concilium convenere anno Chr. 845. Sergio Papa secundo & Carolo Calvo regnante, Imperium vero tenente Lothario Ludovici Pii filio, tres cum Suffraganeis Metropolitae, Venilo Senonensis, Hincmarus Rhenensis, & Rodolphus Bitoricensis, ut quo meliori modo possent Ecclesiarum ruinis, disciplinae lapsae, procerum violentiis & tyrannidi mederentur, quae mala bellorum licentia invexerat, dum Normanni populationibus, direptionibus, incendiis & sacrilegiis per Gallicanas provincias effusi grassabantur. Hujus plerique Canones Regem Carolum Calvum admonendo alloquuntur, ut paternam avitam Calabassii, Notitia Ecclesiastica.

que pietatem & virtutem exerat, ad coercendas propriorum aulicorum & belli ducum sacrilegas injurias, rerumque Ecclesiae invasions, de quibus a praecedentibus ad Theodonis Vilam, & apud Lauriacum, & in Vernensi Palatio, & apud Bellovacum Synodis, quere-lae frustra jampridem apud Regiam Majestatem fuerant intentatae. Calvus enim animo iners & moribus improbus evaserat.

Can. VIII. Quia bene nostis ab illo, qui solus Rex & Sacerdos fieri potuit, ita Ecclesiam dispositam esse, ne Pontificali auctoritate, & Regali potestate gubernetur; & scriptum esse liquido pervidetur, ubi non est gubernator, populus corrumpitur; & tanto periculosius, quanto anima plus est pretiosa quam corpus: Canonum etiam irrefragabilis auctoritas super Episcoporum ordinatione evidentissime praecipiat: ferventissime Dei legatione fungentes monemus, ut quancumque Deo dispensante quilibet Episcopus ad Dominum migraverit, submota funditus peste simoniana haeresos, sine dilatione juxta auctoritatem canonicam sedes vacans Episcopum a vobis regulariter designatum, & gratia sancti Spiritus consecratum accipiat.

Idem continetur can. 2. iisdem fere verbis in Synodo anni 844. ad Theodonis-Villam.

2. Can. 9. & 10. graviter expostulant, quod laicis Abbatibus, Monasteriorumque regimina conferrentur. Hos Abbates laicos, nisi desistant, simulque Monachos eis temperantibus anathemate feriunt; Episcopos vero in suis diocesis hae segniter dissimulantes a Missis interdicunt.

Can. XI. Occasionem etiam & fomitem, unde ordo Ecclesiasticus & canonica forma atque Monastica religio saepe a longe superiori tempore, cum minus religiosos Principes habuit, vitubavit, & pene collabens deperit, & iterum cum devoto & zelo Dei ferventes Principes accipere meruit, resurrectione quadam revixit, & vigorem accepit, atque sui processus tempore ambulavit, quod non sine gravi dolore & metu ultionis divinae dicimus in vestri regimini tempore, in destructionem, non in edificationem, sicut Paulus docuerat, accidisse conspiciamus, quod & nostris peccatis, qui dispensatores & Pastores Ecclesiarum esse debuimus, veraciter imputamus. Et eorum quorum factio res ista adeo male pullulavit, & excrevit, alia praecedentia peccata hoc meruisse, pro certo auctoritate divina evenisse cognoscimus; ut qui nocebant, sicut scriptum est, nocerent adhuc; & qui in foribus erant, sordescerent adhuc; & unde Deum gravius ad iracundiam provocarent, & Sanctos, quos intercessores pro suis peccatis habere haberant, insensos haberent; & Sacerdotes, ac viros religiosos seu Christi pauperes, quos oratores & reconciliatores sibi de suo promerere necesse fuerat, proclamatores adversum se fieri irritarent, & ad cumulum suorum peccatorum etiam illa peccata, unde in conspectu Dei rationem in die terribilis judicii redderent, auferent quae illi commiserunt, qui eadem ipsa peccata per intercessionem fidelissimarum oblationum deleverunt, quibus Ecclesiasticarum rerum peratores inconsulte & in perniciem sui sine reverentia abutuntur. Quod ita verum esse, ut dicimus, Dominus protestatur, dicens: peccata populi mei comedunt. Peccata enim populi comedunt, qui contra auctoritatem Divinam res Ecclesiasticas indebitè pervadunt, & nec intercessionis ope, nec predicationis consilio, vel quocumque Divino auxilio pro peccatis eorum, qui eas dederant, laborant, nec pio operi, ad quod fides fidelium eas tradiderat, inservire permittunt. De quo periculo facta vos Principes Christianissimi venerabiliter admonemus, & devotissime obsecramus, ut memores salutis vestrae, praesentis scilicet & aeternae, & memores largitatis etiam progenitorum vestrarum erga sanctas Ecclesias, propter quam feliciter regnaverunt, & sibi contrarios superaverunt: memores siquidem, cum quanta religione etiam ante Christi sanguinem, & in tempore famis in Aegypto, discretione sancti Joseph apud nefandum Regem Pharaonem terra Sacerdotalis exstitit, innumera quoque Scripturarum exempla; ut lacte Ecclesia nutriti, & scientia ipsius uberibus sufficienter repleti, ante oculos reducentes tunicam Christi, qui vos elegit & exaltavit, quam nec milites ausi fuerunt scindere, tempore vestro quantocius reconjuncte & resarci-te, & nec violenta ablatione, nec illicitorum praecceptorum confirmatione, res ab Ecclesiis vobis ad vendendum & desensandum ac propagandum commissas auferre tentate: sed ut sanctae memoriae avus & pater vester eas gubernandas vobis favore DEO dimiserant, redintegrate, & praecipua Regalia earundem Ecclesiarum conservate & confirmate: ne sicut intentavit Semias Propbeta ad Roboam filium Salomonis in conscriptione pallii praesens Regnum, quod absit, vobis Patrum labore acquisitum, & here-